

## Statuta montis Salechii

In nomine Domini, Amen. Anno Nativitatis Eiusdem millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, Inditione Prima. Die vero lunae vigesima secunda mensis Februarii, in loco Crodi, vallis Antigorii. Cum nihil studiosius et melius sit quam novae legis fructuosa editio, quae humanis defectibus et naturalibus vitiis cum ratione medetur, conata est toties novas edere leges, quoties novas formas, humana procedente natura novis remediis indigebat. Quocirca omnes infrascripti homines, consules, syndici, et deputati Communis Montis Salechii videntes se sine particularibus ordinibus et legibus, aut si aliquos ordines teneant et statuta prorsus correcta et in desuetudinem abesse in eorum maximum detrimentum, cupientes recto tramite Iustitia omnia gubernari, et ut nocentes debitis poenis faciant, ac innocentes minime opprimant, etsi ad maiorem laudem suorum dominorum superiorum, Deo maximo auctore, decreverunt infrascriptos ordines, leges et statuta infrascripta compilare, condere, ordinare facere, et illa inviolabiliter observare, quibuscumque aliis his contrariantibus infrascriptis statutis pro nullis et invalidis declarant dicti infrascripti omnes homines unanimiter, concorditer congregati, uniti et convocati, et qui hic pro meliori specificè describuntur, videlicet:

Joannes fq. Dominici Gororii, Martinus fq. Petri Andreae, Jacobus Gaudentii, Joannes fq. del Gororo Jacobus fq. Joannis Fuox del Gororo, Petrus Andreae et Joannes fq. Georgii Cronualoni, omnes consules, syndici et deputati totius universitatis Montis Salechii, suis et nominibus omnium vicinorum et habitantium in ipso loco Montis Salechii, pro quibus promittunt de rato, etc. Et omnes unanimes, et nemine eorum discrepante, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et Salvatoris D. Nostri Jesu Christi, eiusque gloriosissimae matris virginis Mariae, beatorum Sancti Gaudentii, S. Petri totiusque Curiae celestis, et ad exaltationem Serenissimi Hispaniarum Regis Philippi et Ducis Mediolani et dominorum suorum, et eorum dominorum successorum, provide et utiliter dicta infrascripta statuta, quae leges municipales noncupant, et ordines infrascriptos, compilare et affermare, ordinare et facere decreverunt, ut supra, supplicantes et enixe rogantes Serenissimum Hispaniarum Regem et Mediolani Ducem eiusque excell. Senatum et alios quoscumque dominos superiores ut dignentur dicta statuta, leges et ordinamenta confirmare, convalidare, executionique omni studio mandare in omnibus et per omnia prout disponunt ad iitteram, et salvo semper iudicio Serenissimi Regis et eius excell. Senatus, ac Dominorum suorum, a quo non intendunt discedere. Quorum statutorum et ordinamentorum capitula subsequunt, videlicet.

### *I: De ordine civilium causarum.*

Ne lites fiant immortales et unusquisque quod suum est consequi possit, statutum et ordinatum est quod si quis citatus fuerit domi suae habitationis aut personaliter aut ubi est solitus habitare per servitorem, et non comparuerit per se aut per legitimum procuratorem ad respondendum, et fuerit contumax in non comparendo et respondendo, quod tunc ad petitionem et requisitionem creditoris Iudicis ipsorum hominum a libris tribus infra faciat illum pignori, et a libris tribus supra mandet reo citato non comparenti per praeceptum oretenus aut in scriptis quatenus termino octo dierum tunc futurorum solvat creditori totum illud quod habere praetendat, sub poena pignorationis, dummodo reus esset in dicto Comuni et intra valle Antigori et Formatiae; si vero esset absens extra confinium dictarum vallarum, terminus dicti praecepti et

terminus praedicti sit et esse debeat ipso jure et facto prorogatus per alios octo dies subsequentes, quibus terminis elapsis, teneatur dictus Jusdicens, seu Vicarius, et debeat ipsum debitorem facere pignoraré. Qua pignoratione sic facta, et nullo comparente et legitime non contradicente infra alios tres dies subsequuturos a die obtentae pignorationis, creditor ex comissione tamnen dicti Vicarii faciat bona pignorata per Extimatores juratos dicti comunis Montis Salechii estimare usque ad satisfactionem. totius sui crediti et expensarum legitimarum. Et extimatione facta ipsorum bonorum, si ea bona fuerint mobilia possit creditor ea capere et facere quidquid de eis fecere voluerit; si vero fuerint bona immobilia similiter possit ea apprehendere et possidere et de eis facere et disporne ad sui libitum, facta tamen proclamatione palam in loco publico, vel ad domum habitationis debitoris; si quis vero praetendit habere meliora, potiora et anteriora iura super dictis bonis tam mobilibus quam immobilibus, compareat infra tres dies proxime sequentes dicturus de iuribus suis, aliter, eo termino elapso et nullo comparente, dicta bona censeantur et sint adjudicata ipsi creditori pro satisfactione sui debiti; si vero aliquis comparuerit contradictor dicens se habere meliora et potiora jura ipso creditore in dictis bonis piagnoratis, tunc statutus sit terminus competens ipsi creditori ad ostendendum causam contradictionis; et si in termino statuto ei per dictum Vicarium nullam causam ostenderit, tunc ipse secundus creditor non audiatur, et teneatur reficere expensas prinno creditori, ut supra dictum est, salvo jure ea bona recuperandi vigore alterius statuti hoc disponentis; et si reus comparuerit per se, vel per legatam personam, non audiatur, nisi prius restitutis expensis factis per actorem occasione contumaciae, salvo quod si debitor post adjudicationem et terminos supradictos praeteritos comparuerit, ut supra, usque ad mensem, et debitum solverit cum expensis e interesse, vel solvere paratus fuerit et deposuerit, tunc pignora restituantur, et creditor usque ad dictum terminum reconsignare teneatur. Idem fiat in bonis immobilibus, et antequam deveniatur ad apprehensionem bonorum, fieri debeat diligentia et inquisitio an fuerint in bonis debitoris bona mobilia, quia primo accipere debet creditor bona mobilia si reperiantur antequam deveniatur ad immobilia, et eo in casu bonorum immobilium habeat debitor terminum ea bona tuendi et recuperandi immobilia annum et diem satisfaciendi tamen creditori, tam de debito principali quam de expensis.

## *II: De reo confitente debitum et assignatione bonorum insolutorum datione*

Item statutum, quod si reus comparuerit et confessus fuerit debitum, quod sibi petit a creditore, tunc statutus sit terminus dierum octo proxime futurorum debitum ad solvendum actori id quod confessus fuerit, sub poena pignorationis; vel dicto creditori consignare de bonis suis mobilibus vel immobilibus usque ad duplum valoris quantitatem rei petitam, et confessare ut supra; et creditor possit eligere et estimare facere de dictis bonis sic consignatis ubi voluerit sibi satisfieri, et apprehendere pro satisfactione sui crediti ut supra in praecedenti capitulo. Possit tamen ipse debitor ea bona si fuerint immobilia et valoris librarum decem imperialium abinde supra recuperare a creditore ipso solvente debitum et expensas inde factas infra annum et diem, ut supra.

## *III: De petitionibus dandis.*

tem statutum, quod in omni causa et quaestione inter eos

habitantes in dicta montanea Salechii procedatur summarie in hunc modum, videlicet: si actor voluerit agere contra aliquem reum, is teneatur citari facere reum coram domino Vicario, et si reus comparuerit, teneatur actor suam petitionem facere summarie exponendo factum et jus suum ad praesentiam rei, qui teneatur respondere negando vel confitendo, si vero reus non comparuerit, tunc habeatur lis pro contestata tanquam si comparuisset et negasset contenta in petitione esse vera; tunc Vicarius teneatur ad petitionem creditoris, vel praetendentis ius terminum assignare utrique parti, scilicet actori et reo, quindecim dies probandi, producendi et reprobandi per omne genus probationis ac probatum habendi in fine quidquid voluerit in dicta causa; quibus dilacionibus datis et assignatis conclusum sit in causa, tunc d. Vicarius teneatur et debeat dictam litem et causam et controversiam una cum duobus viris eligendis per dictas partes, videlicet uno pro qualibet parte, si eis videbitur et fuerit expediens, dictam litem decidere, determinare et definire de jure et de facto intra quindecim dies, dum tamen sint in concordia; et si omnes tres non se concordarent in sentiendi et eorum sententiam ferendo, tunc dictam causam, litem et quaestionem committant decidendam et determinandam tribus aliis condominis ipsorum hominum, qui eam causam infra decem dies determinare teneantur de jure et de facto, etiam cum consilio sapientis; a qua sententiâ nulla possit appellatio nec contradictio interponi, sed omnino sit firma et rata et exequutioni mandetur, omni exceptione et cavillatione remotis, et sine figura iudicii. A sententia vero ferenda per dictum D. Vicarium et duos probos viros in concordia existentes, possit quaelibet pars appellare ad alios condominos, et ut supra; et ipsa appellatione interposita, possint dicti commissarii et debeant dictam causam decidere et determinare de jure et de facto, ut supra, infra dies quindecim, et de sapientis consilio petatur. A qua sententiâ lata secundo loco in causa appellationis non possit appellare, et omnino exequutioni mittetur, omni exceptione et cavillatione remotis, et sine consilio sapientis

#### *IV: Qualiter procedi debeat contra haeredes seu bona defunctorum.*

Item statutum, quod si quis actor procedere voluerit contra haeredes, seu bona debitoris vel fideiussoris defunctorum, quod adeat iudicem qui proclamari faciat ante domum in qua habitabat, vel in platea ubi est solitum per servitorem proclamari hoc modo: "Si quis vult esse haeres talis N. defuncti, nomine et cognomine, vel sit aliqua persona, procurator, tutor, curator, sive defensor, agnatus vel cognatus vel quaevis alia persona quae velit defendere haeredes, seu bona dicti defuncti compareat coram D. Iudicante infra octo dies ad petitionem talis N. creditoris, nominando creditorem". Et si aliquis comparuerit, qui dicat se haerem esse, interrogatur an velit esse haeres et quanta parte. Si quaestio fuerit a soldis sexaginta supra procedatur ut supra dictum est; si vero non comparuerit in dicto termino aliquis, qui velit esse haeres, vel defendere bona ut supra, detur creditori possessio bonorum defuncti; si vero comparuerit aliquis qui dicat se habere meliora et potiora jura procedatur prout supra in alio statuto dictum est.

#### *V: De exequutione rei iudicatae.*

Item statutum, quod lata sententia a qua non fuerit appellatum, lapsis decem diebus, mandetur exequutioni, omni exceptione et cavillatione remotis, etiam sine consilio sapientis. Idem fiat si

sententia a qua fuerit appellatum, fuerit confirmata per Iudicem appellationis, vel appellans eam non fuerit prosequutus infra tempora appellationum secundum formam Statutorum.

*VI: Infra quantum tempus debeat appellare.*

Item statutum, quod in appellationibus tempus statutum ad appellandum servetur Constitutio Imperialis sub rubrica de Appellationibus.

*VII: Quod ille cui delatum fuerit sacramentum teneatur jurare vel referre.*

Item statutum, quod in qualibet causa civili si una pars voluerit deferre sacramentum alterae parti, et stare eius sacramento, dum tamen quaestio tota vel capitulum, super quo deferetur sacramentum, definiatur, quod pars cui delatum fuerit sacramentum teneatur jurare vel deferre; alias si ille cui delatum esset juramentum nollet jurare vel referre, stetur juramento deferentis, et si ille cui relatum esset nollet jurare, tunc credatur dicto partis adversae, etiam sine juramento.

*VIII: De expensis factis pro sententia ferenda.*

Item quod si aliqua partium solverit pro adversa parte, seu expensas fecerit pro sententia ferenda, seu consilio habendo, Iudicis teneatur compellere ad petitionem solventis alteram partem pro qua solverit ad solvendum incontinenti summarie, pignoribus captis, et persona detenta si opus fuerit, et omnibus aliis juris remediis quibus ei videbitur.

*IX: De compromissis fiendis inter attinentes.*

Item statutum, quod quotiescumque quaestio fuerit inter propinquos et attinentes usque ad quartum gradum inclusive, teneatur Vicarius ad petitionem cuiuslibet partium, et etiam ex officio compellere partes ad compromittendum et compromissum faciendum de jure et de facto in duos comunes amicos, vel plures, et arbitros compellere ad arbitramentandum, et partes compellere ad observandum arbitramenta, pignoribus captis, et mulcta inducta et omnibus aliis juris remediis.

*X: De non contrahendo cum filiis familias et minoribus viginti quinque annorum.*

Item, ut fragilitati et debilitati adultorum seu adolescentium et minorum aetatis salubriter succurratur, et ad obviandum fraudibus et malitiis, statutum est, quod nullus contrahat cum filiis familias, vel ab eis pignus accipiat sine licentia patris, avi, vel eius in cuius potestate fuerit; et similiter nullus contrahat cum minore viginti quinque annorum, exceptis matrimoniis, quae possunt fieri secundum formam sacri concilii Tridentini, et promissiones et obligationes initae secundum bonas consuetudines prout moris est. Ab eis vero minoribus pignus non accipere nisi in praesentia consulis dicti loci, et talis solemnitas servetur, videlicet: si quis aliquo modo cum minoribus praedictis vult contrahere, compareat coram d. Vicario, seu consule, et ibi citentur duo de propinquo agnatis, seu cognatis dictorum minorum si sint homines bonae famae et conditionis et majores XXV annis, qui jurent ad sancta Dei Evangelia coram dicto d. Vicario, quod contractus quem dictus minor vult facere cum illo, cum quo vult contrahere, est utilis dicto minori et

cum justa causa, et hoc quando minor habet agnatos vel cognatos usque ad quartum gradum; et si non habet sufficientes, tunc loco agnatorum, seu cognatorum, vocentur duo vicini talis minoris qui iuraverint ut supra dictum est; et servata praedicta solemnitate possit minor contrahere in dicta praesentia. Quidquid autem contra praedicta factum fuerit sit cassum et nullum et irritum in praedictum filii familias et minoris, et qui accipit pignus vel instrumentum contra vel praeter praedicta reddat et restituat sine aliqua praestatione pecuniaria, et ad hoc compellatur per dictum Vicarium summarie, et de plano, et omnibus juris remediis, prout ei videbitur, et solvat pro poena et banno sine aliqua contradictione libras sex imp. Notarius vero qui de praedictis fecerit instrumentum contra vel praeter dictam. solemnitatem solvat totidem; et praedicta omnia et singula locum habeant, etiam si dictus contractus fuerit iuramento firmatus, non obstantibus aliquibus legibus in contrarium faventibus, quibus omnibus et singulis derogamus et derogatum esse volumus, etiam si de eis vel aliquo eorum oporteret mentionem fieri specialem. Ita tamen quod, si minor fuerit in pupillari aetate, intercedere debeat auctoritas tutoris, et pariter, si adultus habeat curatorem, intercedere debeat, et aliter non valeat, salvo quod si maiores viginti annorum possint cum dicta solemnitate contractus facere in praesentia consulum et duorum vicinorum.

#### *XI Quod mulier dotata non admittatur ad successionem.*

Item statutum est, quod mulier dotata de bonis paternis vel maternis, existentibus liberis masculis, vel nepotibus, vel pronepotibus per lineam masculinam, non admittatur ab intesto ad successionem bonorum paternorum vel maternorum cum praedictis, vel aliquo praedictorum. Idem de avo, vel avia, proavo, vel proavia, paternis vel maternis, per omnia observetur, et similiter mortuo patre, vel matre, vel aliquo praedictorum ab intestato relictis masculis vel foeminis descendantibus. Si frater, vel fratres, vel alii descendentes dotaverint, vel parati fuerint dotare cum effectu sororem, vel sorores, vel alias descendentes, quae cum eis de jure comuni ad successionem admittantur in laude duorum agnatorum vel cognatorum. Agnati autem si fuerint sufficientes semper convocentur, et si non haberent sufficientes agnatos, vel cognatos, tunc vocentur duo vicini et dotentur juxta stilum et consuetudinem dictae terrae, et non admittantur dictae foeminae descendentes ad dictas successiones, vel aliquam earum, et pariter si fuerint plures fratres et sorores, et decesserit unus ex dictis fratribus ab intestato, nullis relictis filiis, sed superstitibus aliis fratribus et sororibus, non admittantur dictae sorores ad successionem patris praedicti defuncti una cum fratribus, nisi in libris decem imp., in reliquis succedant fratres exclusis sororibus, fratri praedicto defuncto, similiter succedant nepotes masculi descendentes ex fratribus, exclusis amitis, ut supra.

#### *XII: De alimentis pro dote non soluta dandis.*

Item statutum, quod si quis promiserit dotem pro aliqua muliere et non solverit ad terminum in promissione contentum, possit maritus vel socer eo quod sustinent onera matrimonii, petere et habere omni anno pro interesse et. alimentis dotis a termino in antea, vel ab uno anno in antea, petere et habere omni anno pro interesse et alimentis dotis soldos duos imp. pro qualibet libra, vel alimentare mulierenm, et e converso. Si mulieri post annum soluto matrimonio dos soluta non fuerit restituta, teneantur haeredes viri vel soceri dare ei si petierit omni anno ab uno anno in antea pro interesse et

alimentis datis, ut supra, vel mulierem decenter alimentare, et hoc donec dos fuerit soluta vel restituta. Et per praedicta non praejudicentur viro, vel socero, vel mulieri, quominus dotem petere possint, et de praedictis d. Vicarius faciat et reddat jus summarium

*XIII: Quod maritus lucretur medietatem dotis et aliorum bonorum paraphernalium uxoris.*

Item statutum, quod uxore mortua sine liberis post desponsationem solemniter et legitime factam, et consumpto matrimonio per carnalem copulam, maritus lucretur medietatem dotis habitae vel promissae, et pariter mulier haereditaria si ut supra decedat, maritus lucretur tertiam partem dictorum bonorum.

*XIV: De oblatione fienda per secundum creditorem primo.*

Item statutum est, quod si plures fuerint creditores unius debitoris, vel plurium, qui concurrant ad petendum bona ipsius vel ipsorum, et secundus creditor voluerit solvere debitum primo creditori cum expensis legitimis, et solverit cum effectu, vel obtulerit, et deposuerit, primo creditore recusante recipere, vel citato non comparente ad recipiendum, secundus creditor, facta solutione, vel oblatione et depositione, ut supra dictum est, praeferatur primo creditori, etiam si primus sit potioris conditionis secundo tempore et jure. Ita tamen quod facta solutione primo, seu recepta pecunia deposita per eum, primus teneatur cedere omnia jura et actiones quae ei competunt contra debitorem, vel debitores. Idem in omnibus servetur in tertio debitore et quarto et ultra, per ordinem, salvo quod si primus vellet offerre, et satisfacere aut satisfacere, aliis praeferatur.

*XV: Quod maiores XXV annorum non possint facere finem curatoribus.*

Item statutum est, quod adulti, seu maiores viginti quinque annorum quando exiverint de tutela et cura, infra tempus tutelae et curae non possint facere finem illi, vel illis, qui fuerint, vel essent tutores eorum, vel curatores de administratione bonorum, nisi coram consule et duobus proximioribus agnatis, seu cognatis dictorum minorum majorum viginti quinque annorum, et hominibus bonae vocis; et in defectu agnatorum vel cognatorum, cum praesentia duorum vicinorum, qui omnes jurent quod dicta finis non fit in detrimentum minorum et eorum deceptionem, et aliter dicta finis non valeat, et si notarius, sine dicta solemnitate de praedictis fecerit instrumentum, puniatur in libris quinque imperialium.

*XVI: De Feriis.*

Item statutum est, quod D. Vicarius non possit jus reddere in civilibus in in frascriptis diebus:

De mense Decembris: (festo) Sancti Thomae Apostoli, XXI, et abinde in antea usque ad diem sequentem post Epiphaniam et per totam diem inclusive sint feriae et non reddatur jus in civilibus.

De mense Ianuarii: Sancti Antonii, XVII - Sanctae Agnetis, XXI - Sancti Gaudentii, XXII - Conversionis S. Pauli, XXV - Beati Iulii, XXXI.

De mense Februarii: Purificationis S. Mariae Virginis, 2 - Beati Blasii, 3 - Beatae Agathae, 5 - Cathedrae S. Petri, 22 - S. Matthiae Ap., 24; et a die Iovis grasse usque ad diem Cineris pro tota die inclusive.

De mense Martii: S. Benedicti Abbatis, 21 - S. Gregorii- Eccles. doctoris, 12 Annuntiationis Sanctae Mariae Virginis, 25 - septem dies praecedentes festum Pascalis D. N. I. G. et septem post Pascha.

De mense Aprilis: S. Georgii martyris, 24 - Santi Marci Evang., 25 - S. Petri martyris, 29.

De mense Maii: Apostolorum Philippi et Iacobi - Inventionis S. Crucis, 3 - Festa Pentecostes cum duobus diebus sequentibus - Dierum Rogationum, vel Laetaniarum - S. Bernardini - Ascensionis Domini.

De mense Iunii: S. Bernardi, 15 - Sanct. Gervasii et Protaxii, 19 - Corporis Christi D. N.

De mense Iulii: Sanct. Quirici et Julitae, 16 - S. Mariae Magdalенаe, 22 - S. Iacobi Ap., 25 - et abinde in antea usque ad festum S. Michaelis, 29 septembris facit ferias ob messes.

De mense Octobris: Sancti Francisci, 4 - S. Lucae Evang, 18 - Apost. Simonis et Iudae, 28. De mense Novembris: Omnium Sanctorum - Comm. Mortuorum, 2 - S. Martini Episcopi, 11 - Sanctae Catharinae, 25 - S. Andreae Apost., 30.

De mense Decembris: S. Nicolai, 6 S. Ambrosij, 7 - Sanctae Luciae Virginis, 13; et omnes dies dominicae et in omnibus mensibus sunt feriae et non reddatur jus.

#### *XVII. De consuetudinibus in solutionibus D. Vicarii et servitoris et notarii et aliorum ut infra.*

In civilibus causis servantur infrascriptae consuetudines in solvendo sportulas D. Vicario, notario, et aliis officialibus, ut infra. In primis, pro quolibet sacramento contentioso, sodos duos, unum pro parte, quorum medietas applicetur D. Vicario, et alia medietas Ecclesiae ipsorum de Salechio.

Item pro qualibet possessione corporali data vel datione insolutum, solvatur pro libra imp. sex appl. pro medietate D. Vicario, et alia medietas notario, qui instrumentum scripsit, et cuilibet eorum pro medietate.

Item D. Vicario pro qualibet auctoritate praestanda in instrumentis, sold. 12 imp.

Item D. Vicario pro qualibet sententia ferenda sumaria, sold. octo imp.; si vero factus fuerit processus habeat D. Vicarius pro sententia: si quaestio fuerit valoris librarum viginti quinque usque ad centum, sodos triginta imp., si vero fuerit valoris centum abinde supra, habeat libras tres imp. et non ultra, et notarius, qui eam sententiam scripserit, habeat pro aliqua sententia cuiuslibet valoris existat sodos triginta imp.

Item solvatur D. Vicario pro iuramento testium solidos quatuor pro singulo teste.

Item solvatur servitori dicti montis solidum unum pro qualibet citatione et qualibet vice.

Item quod, estimatores dictae montanae, habeant pro eorum mercede pro qualibet estimatione a libris XXV infra, sodos tres imp. pro quolibet, et abinde supra usque ad libras quinquaginta sodos quatuor imp. pro quolibet, et abinde supra sodos sex imp. pro quolibet ipsorum. estimatores habeant a libris centum supra sodos sexdecim imp. pro quolibet; idem servetur a libris centum supra usque ad sexcentum et ultra, ita quod nil ulterius consequantur pro alia quovis maiori summa. Et quod notarius habeat pro quolibet praecepto sol. unum imp., et pro qualibet relatione sol. imp. sex, et pro qualibet estimatione sodos duos imp., et non ultra.

Item pro copia instrumentorum habeat notarius sodos duos pro qualibet pagina papiri, non computato tamen rogitum.

Item pro quolibet compromisso, sodos viginti imp.

Item pro qualibet sententia arbitrari: si quaestio ascenderit ad

libras viginti quinque imp. soldos decem imp., et abinde supra soldos triginta duos.

Item solvatur illis duobus viris eligendis una cum D. Vicario: si quaestio fuerit a libris quinquaginta infra, soldos triginta duos, et abinde supra florenos duos auri in totum.

#### *XVIII. Quod mater non succedat filio.*

Item statutum est, quod nulla mater filio, seu filia decedenti sine testamento succedat, nisi in libris decem imp. pro quolibet centenatio aeris ipsius decedentis, quanti velint valoris, existentibus agnatis masculis, et in eorum defectu agnatis foeminis usque ad septimum gradum computandum secundum jura civilia.

#### *XIX: De aliena possessione non occupanda.*

Item statutum, quod non sit aliqua persona cuiuslibet conditionis existat, quae audeat, vel praesumat occupare, vel molestare aliquem in possessione bonorum in quibus reperiatur esse, sub poena lib. viginti quinque imp. pro qualibet vice et qualibet persona si possessio fuerit valoris lib. centum imp. et abinde supra; et si fuerit minoris valoris lib. centum imp., sub poena lib. decem imp. pro quolibet et qualibet vice, et nihilominus desistere teneatur a molestatione et si non revocaret solvat possidenti damnum in duplum.

#### *XX: Quod agnati excludant cognatos.*

Item statutum, quod in omnibus successionibus, agnati excludant cognatos usque ad septimum gradum; et ita intelligatur de agnatis masculis et foeminis, dum tamen semper masculi praeferant foeminis, nullo habito respectu an sint anterioris aut posterioris gradus.

#### *XXI: De contributione cum Comuni.*

Item statutum, quod quaelibet persona habitans in et supra territorio dictae montanae de Salechio, et intra eius confines, teneatur contribuere in omnibus et per omnia realiter et personaliter cum Comuni et hominibus ipsius montanae.

#### *XXII. De buschis tensis.*

Item statutum, quod nullus audeat nec praesumat incidere nec extropare aliquam plantam lariciam, auodam et pezanigam in et supra toto dominio ipsorum de Salechio, sub poena lib. sex imp. pro qualibet planta et qualibet vice, quae poena perveniat tertia pars d. Vicario, alia Comunitati, et alia tertia pars accusatori; et quilibet possit accusare et credatur, et si reperiatur aliqua planta buschi in aliqua domo, seu cassina, condemnetur patronus domus et cassinae in poena praedicta, nisi probaverit aliunde habuisse dictum buschum, salvo quod inter vicinos poenae praedictae condonetur contrafacienti medietas, si confiteatur damnum, et ita servetur in ruschante vel attapante buschum quoad poenam et compositionem, ut supra.

#### *XXIII. Nota in criminalibus causis.*

Item statutum, quod Homines dicti loci et montis Salechii, teneantur et debeant singulo anno eligere unum consulem, qui illico vadat coram D. Vicario illius anni, et iurare debeat in manibus d. Vicarii de denunciando omnia maleficia, quae contingant fieri per

homines dicti loci, et per quoscumque alios in et supra eorum territorio, et quod consul infra tres dies teneatur denuntiare praedicto D. Vicario omnia maleficia, rixas, vulnera, furta et robarias, incendia, damna et guasta et omnes violentias, necnon et stupra, et adulteria, ac homicidia, delationes scloporum rotatorum, et omnia alia maleficia, quae commissa fuerint in dicto eorum territorio sub poena scuti unius pro quolibet consule et qualibet vice, applicanda pro domino Vicario, et plus secundum qualitatem facti arbitrio d. Vicari.

#### *XXIV: De poena facientium rixas.*

Item statutum est, quod si quis pervenit ad rixas, et rumorem de verbis iniuriis tantum, puniatur in soldis decem imp. pro quolibet, et si in praedicta rixa et rumore ferita aliqua facta fuerit cum pugnis, aut manibus, vel pedibus, sine sanguine, puniatur pro aliqua ferita in soldis viginti imp. pro quolibet et qualibet vice, salvo quod si ferita fuerit in vultu cum sanguine puniatur in libris tribus imp. Item si quis fecerit feritam seu percussione cum baculo vel aliquo ligno non ferratis, vel cum lapide, vel lapidibus, sine sanguine, puniatur pro quolibet et qualibet vice in soldis quadraginta imp., et si super vultu cum sanguine in libris quinque imp. et si ferita vel percussio facta fuerit cum armis, videlicet ense, pugio et arma hastili, et cultro, vel alia arma ferrea, et fuerit sine sanguine, puniatur pro quolibet et qualibet ferita in libris tribus imp. et si fuerit cum sanguine, in libris decem imp.; et si fuerit in vultu vel in capite et cum sanguine, puniatur in libris quindecim imp. pro quolibet et qualibet vice; et si aliquae feritae vel aliquae percussiones factae fuerint in domo praedicti Vicarii, quod poenae praedictae talibus contrafacientibus, duplicentur. Item si quis aliquem percusserit vel vulneraverit cum armis, pugno, manibus, seu pedibus, pro qua percussione, aut vulneratione, membrum aliquod debilitaretur, puniatur in libris quinquaginta imp., de qua stetur depositioni medici, seu chirurgi, medio eius iuramento. Quod si non solverit infra quindecim dies proxime futuros, post lectam condemnationem, eidem vulneratori simile membrum incidatur et extropetur; et quilibet vicarius praedictos percutientes et vulnerantes in fortiam habens, nullatenus relaxet eos, donec de praedictis omnibus, percusso seu vulnerato, satisfecerit et satisfactionis idoneae dederit cautionem de solvendo poenam et damnum parti lesae. Item si quis aliquem percusserit aut vulneraverit, percussione vel vulnere, percussione aut vulneribus, qua vel quibus quovis modo homicidium fecerit, vel fieri fecerit, aut mandaverit quomodocumque et qualitercumque, capite puniatur, ita quot a spatulis omnino separetur. Cameraeque dictorum nostrorum dominorum bona eius publicentur et confiscata intelligantur. Non possit tamen D. Vicarius devenire ad aliquam condemnationem corporalem, nisi primo instituto processu et formata inquisitione, et statutis terminis defensionum, et habito consilio et consensu aliorum Condominorum suorum, et similiter si habuerint malefactorem in fortiam pro aliquo delicto pro quo veniat imponenda aliqua poena corporalis afflictiva, non possint dicti eorum Vicarii devenire ad aliquam condemnationem vel absolutionem inconsulto Senatu.

#### *XXV: De eodem.*

Item statutum, quod si quis nudaverit ense, vel gladium, vel abbassaverit lanceam, vel levaverit lapidem, vel cum pugno istigaverat causa offendendi aliquem, puniatur in soldis viginti

imp. pro qualibet vice. In coeteris vero poenis abusuri servantur decreta ducalia et ordines.

*XXVI: De furto lignaminis.*

Item statutum est, quod si quis furatus fuerit, vel conduxerit aliquod lignamen signatum vel cimaturn inventum in aliquo busco, seu nemore, vel via, aut alio quovis loco, puniatur pro qualibet planta, tempiaria, canterio, seu trabe, vel quavis alia planta, in soldis decem imp., et ulterius compellatur plenarie et sine intervallo ad restitutionem lignaminis damnum passo in duplum, et compellatur accusatus si accusanti placuerit ad jurandum, quod si fateri noluerit cum iuramento accusantis compellatur ad restitutionem damni in duplum et puniatur ut supra dictum est.

*XXVII: De his qui faciunt pacem et confitentur delictum.*

Item statutum, quod d. Vicarius et seu dicti nobiles eorum Domini, teneantur et debeant, si pax facta fuerit inter offendentem et offensum, qui sese offendissent dicto vel facto, remittere tertiam partem poenae de qua deberent condemnari illae personae condemnandae, dummodo probetur ipsa pax; et item sit in confitente delictum antequam formetur inquisitio, remittatur tertia pars condemnationis ut supra, habita tamen pace cum offenso.

*XXVIII: Quod pignoratatio vel exequutio non fiat a soldis V supra condemnatione non facta.*

Item statutum. quod d. Vicarius dictae montanae non possit a sol. 5 imp. supra aliquem pignorare, vel exequutionem aliquam facere, condemnatione prius non facta, et defensionibus legitime non assignatis; et si secus fecerit non valeat, nec teneat ipso jure, salvo descriptione et annotatione bonorum, quae fieri possint in poenis in quibus confiscantur bona.

*XXIX: De taleis et oneribus solvendis.*

Item statutum, quod omnes homines et personae cuiuscumque conditionis existerint non solventes talias et alia onera cum comuni et hominibus Salechii, teneantur pro terris et possessionibus et bonis aliis quae habent, et acquisiverint in territorio dicti comunis, solveere taleas et fodra dicto comuni, et onera realia sustinere cum dicto comuni de rebus acquisitis ab aliquo, vel aliquibus dictae comunis, cum comuni praedicto, sub poena librarum sex, et ultra poenam, possint exequutionem (pati) in talibus bonis pro solutione talearum, et ut supra, quae poema perveniat comuni, ut supra.

*XXX: De eodem.*

Item statutum, quod nullus, qui non sit vicinus dicti comunis, possit acquirere ab alio vicino dicti comunis aliqua bona existentia in territorio dicti comunis Salechii, nec aliquis possit vendere, nec alienare in dotem dando, vel cambium, vel haeredem instituendo, vel legando, vel aliquam ultimam voluntatem, vel aliquo modo contrahendo poderium suum, vel possessionem, vel aliqua bona immobilia existentes in dicto territorio, alicui personae non subditae comunis ipsius montis Salechii, et talis contrafaciens puniatur in libris centum imp., et bona illa perveniant ad comune dicti loci Salechii et sint publicata ex nunc prout ex tunc et

publicata intelligantur, salvo jure creditorum; et praedicta alienatio nec valeat, nec teneat ipso jure.

Hoc idem statutum est, si homines jurisdictionis dicti comunis transtulerint se in alienam jurisdictionem, sive territorium alienum, id est quod res et bona immobilia eius publicentur, in dominio et potestate dicti comunis diveniant, nisi redierit infra duos menses, postquam fuerint requisiti ad instantiam dictae comunitatis, facta citatione domui in qua habitare solebant, quae citatio fiat et fieri debeat in comuni et vicinania alta voce, salvo quod si fuerint aliqui fratres, agnati et affines dicti talis se alio tranferentis qui cum dictis hominibus onera sustineant, et ut supra. Sed (si) tales non continue, sed ad tempus habitarent extra dictum comune, quod tunc non sit locus dicti statuti.

#### *XXXI. De reorum citatione.*

Item statutum, quod quilibet accusatus, inquisitus, vel denuntiatus, citari debeat per servitorem dicti comunis, personaliter, vel ad domum habitationis, in qua est solitus habitare, alta voce, et in loco commissi maleficii, et possit fieri qualibet die et alta voce, et exprimat causam quare citetur.

#### *XXXII. Quod quolibet tempore possit procedi in criminalibus*

Item statutum, quod in quolibet crimine, seu delicto, possit procedi per accusam, denuntiam, vel inquisitionem, prout ulterius videbit et placuerit D. Vicario.

#### *XXXIII: Quod contumaces habeantur pro confessis.*

Item statutum, quod quicumque fuerit citatus et non comparuerit in termino ei dato per servitorem, possit banniri, et si bannitus, usque ad octo dies a die dati banni exclusive, non comparuerit et ad mandata non venerit, habeatur pro confesso et convicto, et tanquam confessus et convictus possit condemnari, nisi per dominum Vicarium terminus octo dierum fuerit prorogatus. Qua prorogatione elapsa, similiter pro confesso habeatur, ut supra, si non comparuerit.

#### *XXXIV. Qualiter fieri debeat accusatio ordinaria.*

Item statutum, quod quilibet, qui voluerit accusare aliquam personam de aliquo maleficio, porrigat libellum, sive accusam in praesentia d. Vicarii, et porrigat ipse Jusdicens ad personam quae accusatur, si petierit, faciat quod ille, qui accusat, juret antequam accusa recipiatur quod calumniose non accusat, et quod contenta in accusa sunt vera, neque teneatur accusans se inscribere ad poenam talionis, sed solummodo juret et satis det de accusa proseguenda; et si non probaverit, vel accusam remiserit, solvat d. Vicario omne id et quantum condemnaretur delinquens pro contentis in dicta accusa, et condemnetur in expensis duplicatis.

#### *XXXV. De termino defensionis assignato accusato, inquisito vel denuntiato*

Item statutum est, quod postquam quis fuerit accusatus, denuntiatus, vel inquisitus de aliquo crimine, quod d. Vicarius data prius copia accusato, denuntiato, vel inquisito actorum omnium factorum in causa, seu causis, teneatur statuendi terminum dierum decem continuorum ipsi accusato, denuntiato, vel inquisito, ad omnem suam defensionem faciendam, quam si non fecerit, procedatur juxta

formam statutorum. Et si alio modo deveniatur ad condemnationem, ipsa sit nulla.

*XXXVI. De non capiendo aliquem, qui velit fidejubere.*

Item statutum est, quod nullus accusatus, inquisitus, vel denunciatus, non ponatur in carceribus, neque personaliter capiatur, si paratus fuerit fidejubere de stando et parendo juri, et de solvendo id quod condemnari potuerit de illo dehito de quo accusatus, inquisitus, vel denunciatus fuerit; salvo quod in casibus in quibus ingeretur, vel ingeri posset poena sanguinis, possit et debeat detineri et in carceribus includi.

*XXXVII. De copia actorum danda partibus.*

Item statutum est, quod quilibet Vicarius teneatur et debeat omnia acta et dicta testium exemplata dare partibus, vel petenti, vel eius procuratori, et postquam data fuerint, teneatur et debeat dare terminum competentem ad providendum et deliberandum.

*XXXVIII. De non procedendo ad condemnationem vel absolutionem nisi publicatis testibus et processu.*

Item statutum, quod non procedatur ad condemnationem, vel absolutionem, nisi primo testibus publicatis, et copia testium et totius processus, data partibus vel parti, vel eius procuratori si petita fuerit, qua data, assignetur terminus dierum octo ad opponendum et excipiendum contra dicta testium et personas et ad reprobandum ipsos testes, si de eis de falso arguere voluerit.

*XXIX: Banna et condemnationes.*

Item statutum, quod omnia banna et omnes sententiae et condemnationes maleficiorum publice legantur in Platea villae Salechii, et nomina condemnatorum dentur consuli.

*XL: De poena facientium incendium et damnum dantium.*

Item statutum, si quis incendium fecerit, vel fieri fecerit, vel damnum, vel guastum fecerit a libris XXV supra, puniatur in libris quinquaginta imp., et damnum datum restituat damnum passo; quas si non solverit infra decem dies a die latae sententiae, si fuerit in fortiam Vicarii, non relaxetur donec satisfecerit, et si non fuerit in fortiam Vicari; tempore latae sententiae, si non solverit infra decem dies postea, quodcumque venerit in fortiam, comburatur ita quod moriatur. Si vero damnum ascenderit a libris V infra, usque ad libras X imp., puniatur in libris XV imp., et ad restitutionem dupli damni damnum passo, et si non solverit amputetur ei manus; et si damnum, ut supra, ascenderit a libris decem infra, usque ad soldos centum imp., puniatur in libris decem irmp. Et si damnum, ut supra, ascenderit a soldis centum infra condemnatur in duplum exstimatum damnum passo, et ad hoc compellatur in quolibet dictorum casuum ad solvendum damnum passo summarie, et de plano, sine strepitu et figura iudicii; et si fuerit in fortiam d. Vicarii non relaxetur donec praedicta satisfecerit, nec aliquod praedictorum non vindicent sibi locum in bestiis inventis, et damnum dantibus in terris, seu possessionibus, ad quod damnum tamen teneantur domini bestiarum.

*XLI: De verbis iniuriosis, et blasphemantibus in Deum.*

emendandum damnum cum expensis legitimis damnum passo, et si sacramentum fuerit iteratum, condemnetur arbitrio d. Vicarii.

*XLV: De falsis testibus.*

Item statutum, quod quicumque convictus, vel confessus fuerit falsum testimonium reddidisse coram aliquo Vicario iudicante, vel delegato, si quidem in criminali causa, puniatur ea poena qua puniendus esset ille contra quem falsum testimonium dixerit, si vero testificatum esset contra eum, et si in causa civili condemnetur in tanta quantitate quanta erit illa, cuius occasione testimonium protulerit, cum expensis et interesse, quas si non solverit intra decem dies, a die datae sententiae, amputetur ei lingua ita quod separetur a corpore, et medietas cuius poenae pecuniariae applicetur iniuriato, et medietas Vicario, et si dixerit falsum testimonium ad defensam alicuius in causa criminali, puniatur illa poena, qua puniri deberet ille in cuius defensa dixerit falsum testimonium, et eadem poena puniantur illi, qui scienter, et dolose prodixerint falsos testes, vel eorum testimonio usi fuerint, et eadem poena puniatur ille qui docuerit aliquem, vel aliquos, falsum testimonium perhibere, et in quolibet praedictorum casuum quilibet praedictorum perpetuo sint infames.

*LVI. De tributis non dandis nec recipiendis.*

Item statutum, quod non sit aliquis de dicto loco Salechii, vel habitans in eo, qui audeat vel praesumat modo aliquo aliquem tributare, nec tributum, seu donum pro tributo dare, seu dari facere alicui personae, nec acceptare, et qui contrafecerit solvat libras tres imp. pro qualibet vice, et quilibet suo sacramento teneatur accusare, et ille qui recepit dictum tributum teneatur ad restitutionem ipsius, et ultra puniatur in libris tribus imp.

*XLVII: De mensuris et ponderibus signandis.*

Item statuerunt, quod omnes mensurae et pondera sint aequalia et signata per consulem dictae terrae cum signo suo. Qui vero falsam mensuram, vel non signatam, tenuerit et operatus fuerit, vel operari fecerit, solvat pro poena, soldos viginti imp., et mensuram, vel pondus amittat; similiter spacia ad mensurandam terras et possessiones sint mensurata et aequata ad mensuram spaciorum hominum vallis Antigori; et quibus ipsi homines utuntur, sub poena, ut supra.

*XLVIII: De testoribus telarum.*

Item statutum, quod testes telarum tam de lino quam de lana, eas faciant ad mensuram solitam et signatam in hostio magno Ecclesiae Sancti Stephani de Crodo, et contrafaciens solvat soldos decem imp.

*XLIX: De non faciendo aliquam turpitudinem in ecclesia, vel cimiterio.*

Item statutum, quod quicumque fecerit turpitudinem in ecclesia, vel cimiterio, condemnetur in sol. X imp. pro qualibet vice et in damnis, et plus secundum quantitatem facti.

*L: De eodem.*

Item statuerunt, quod minores annorum XII non teneantur ad poenam

Item statutum, quod quicumque dixerit verba iniuriosa d. Vicario, vel suis notariis, qui pro temporibus sunt, puniatur in libris quinque imp.; si vero dixerit verba ir. iuriosa alteri personae, verbi gratia, tu mentiris. vel appellaverit eum homicidam, proditorem, vel falsum, vel aliud verbum iniuriosum, vel mulierem appellaverit meretricem publicam, vel strigam, puniatur in libris tribus imp. pro qualibet persona et qualibet vice; si coram Vicario poena duplicetur.

Si quis vero blasphemaverit Deum, sanctum, vel sanctos, puniatur in libris sex imp. pro qualibet vice, cuius poenae blasphemiae medietas perveniat d. Vicario, et alia medietas Ecclesiae S. Petri; quas si non solverit ad terminum sibi datum, ponatur ad berlinam et cathenam, et ibi stet per unum diem, et ulterius compellatur ad solutionem. In casu vero blasphemiae atrocis statuunt deberi procedi juxta formam Ordinum ducalium.

*XLII: De poena facientium insultum ad domum habitationis, vel in strata.*

Item statutum, quod quicumque fecerit insultum contra aliquem ad domum habitationis suae cum armis appunctatis, puniatur in libris vigintiquinque imp. Si vero in strata in libris quinque imp.; si vero sine armis solvat medietatem dictarum poenarum, habita distinctione quando insultus fuerit ad domum et quando in strata; si vero alibi fecerit insultum, quam in locis praedictis, si cum armis, in libris tribus, si sine armis, in soldis XX.

*XLIII. De stupris et adulteriis.*

Item statutum, quod si quis copulam cum virgine, vel muliere, non faciente publice quaestum sui corporis, sine violentia, condemnetur in libris decem imp., si vero cum violentia, condemnetur in libris quinquaginta imp., et in dicto casu violentiae, si fuerit virgo, vel vidua teneatur, si non sit uxoratus, ipsam in uxorem ducere, vel dotare, secundum qualitatem et conditionem personarum, arbitrio duorum bonorum virorum dictae terrae; et quas si non solverit ad terminum datum per Vicarium puniatur, arbitrio Vicarii; et hoc si culpabilis in praedictis sine violentia commissis, accusatus, vel denunciatus fuerit Vicario per maritum, patrem, matrem, fratrem, vel sororem, agnatum vel cognatum, vel affinem mulieris cum qua sit commissum delictum, vel iniuria ipsius, vel si delictum fuerit notorium, vel laboret infamia, et aliter non possit super eis sine violentia commissis procedi; salvo quod si delinquens sine violentia fuerit in casu quod possit insimul contrahere matrimonium, contrahat cum effectu in presentia consulis, et ibi fiant sponsalia, servata forma Sacri Concilii et non teneatur ad aliquam poenam. Si vero quis habuerit copulam cum muliere agnata, vel cognata, vel affine, puniatur vir ille taliter agens in libris centum imper. versus D. Vicarium et Comunitatem, ut supra; et hoc ultra poenam Ordinariam a jure impositam contra incestuosos, et mulier fustigetur publice in dicta terra de Salechio; et si quis uxoratus habuerit copulam cum muliere habente maritum puniatur in libris centum imper., ut supra applicanda, et mulier perdat dotem et detur marito; et si non habuerit dotem publice fustigetur, ut supra dictum est, quarum poenarum medietas sit d. Vicarii, et alia medietas Comuni Salechii.

*XLIV: De sacramento falso.*

Item statutum est, quod convictus et confessus de sacramento falso, puniatur in libris vigintiquinque, et ulterius teneatur ad

turpitudinis factae super cimiterio et in ecclesia; et similiter nullus audeat stare super eo cimiterio per totum tempus quo celebratur missa, quinimmo omnes teneantur stare in ecclesia; et qui contrafecerit, puniatur in soldis decem, quae poena perveniat fabricae dictae Ecclesiae, et consul teneatur eam exigere, aliter teneatur de suo proprio.

*LI: Quod quilibet Vicarius teneatur absolvere vel condemnare ante recessum.*

Item statutum, quod quilibet Vicarius qui est, vel pro temporibus erit, teneatur et debeat ante recessum suum absolvere, vel condemnare, omnes accusatos et inquisitos, vel denunciatos, et Vicarius qui supervenerit, non possit amplius procedere supra dictis accusis, inquisitionibus et denunciis maleficiorum commissorum tempore Vicarii praecedentis, exceptis pro damnis et delictis atrocibus.

*LII: De furtis.*

Item statutum, quod si aliquis furtum fecerit in dicto territorio de Salechio valoris sold. quinque imp., puniatur in libris tribus imp.; si vero furtum fecerit in soldis viginti, usque ad soldos centum, puniatur in libris decem; et si a soldis centum, usque ad libras decem, puniatur in libris viginti imp.; et a libris decem supra, puniatur in libris vigintiquinque imp., et semper puniatur ad minus in duplum valoris rei quam fuerint furati, ed in casu paupertatis illius furis, puniatur realiter et personaliter ad arbitrium d. Vicariorum; et si fuerint furta a libris vigintiquinque supra abinde supra, puniatur personaliter arbitrio dominorum suorum; et in quolibet praedictorum casuum si non solverint infra decem dies post factam condemnationem, puniantur majori poena arbitrio dominorum suorum, et ipsi fures teneantur et condemnentur ad restitutionem furti et in damnis versus damnum passos, et detineantur in fortiam d. Vicarii donec satisfecerint; obnoxii vero, sive publici fures, furcha suspendantur, ita quod moriantur, non obstantibus praedictis.

*LIII: De eundo ad laetantias.*

Item statutum, quod omnes teneantur ire ad Laetantias, et quando fiunt processiones solitae, et quando notificantur in Ecclesia, sub poena sold. decem imp. pro singulo, applicanda Ecclesiae.

*LIV: De poena dantium damnum cum bestiis in bonis et possessionibus.*

Item statutum, quod nullus audeat damnum dare, nec inferre in aliquibus bonis, cum bestiis, vel sine, in pasculando et damnum dare, vel aliquid auferendo a bonis alterius, sub poena sold. viginti imp. pro qualibet persona et qualibet vice, et sold. viginti pro qualibet bestia grossa, et sold. decem pro qualibet bestia minuta, quae poenae perveniant partim accusatori, et partim Comuni; et de his damnis possit consul jus reddere, et ulterius, contrafacientes ad restitutionem damnorum in duplum damnum passo teneantur.

*LV: De eundo ad alpes.*

Item statutum, quod nullus audeat ire cum bestiis ad alpes usque

ad vigiliam Sancti Ioannis Baptistae, vel quando ipsi homines convenerunt carigare dictas alpes, sub poena soldorum viginti pro qualibet bestia grossa, et sol. decem pro qualibet bestia minuta et pro qualibet die; et similiter nullus audeat discaricare alpes nisi prius de consensu hominum ipsorum de Salechio, sub dicta poena.

*LVI: Mulier haereditaria non nubat extra dictam montaneam et homines Salechii.*

Item, quod nulla mulier haereditaria, quae habet bona haereditaria patris, matris, avi et aviae, vel fratris aut sororis, in dicto territorio et dominio hominum de Salechio, audeat nec praesumat sese maritare et matrimonium coniungere cum aliquo viro forense, qui non sit oriundus, vel vicinus dictae montanae de Salechio, sine consensu duorum proximiorum agnatorum, et in eorum defectu, cognatorum, qui proximiores agnati, et in eorum defectu, cognati, debeant intervenire ipsi matrimonio.

*LVII. De non tractando contra serenissimum Regem Hispaniarum et Ducem Mediolani, et contra alios quoscumque dominos suos.*

Item statutum, quod nullus audeat nec praesumat tractare contra serenissimum Regem et ducem Mediolani, et alios successores, nec contra dominos suos vicarios, sub poena arbitraria ipsorum dominorum suorum, secundum qualitatem facti.

*LVIII: De censu domini Vicarii.*

Item statutum est ut supra; quod d. Vicarius ipsorum hominum habeat et habere debeat ab emptoribus quorumcumque bonorum pro suo censu, juxta solitum antiquum, solidum unum pro qualiter libra ad computum libr. quinque imp. pro quolibet centenario librarum pretii rei emptae, solvendo ad omnem requisitionem d. Vicarii, sub poena pignorationis. In qua solutione census non comprehendantur pretia domorum, nec buscorum, neque intelligantur bona, quae inter partes permutantur, vendantur in cambium, nec bona mobilia, cassinae, et albergha, quae omnia libere vendi et permutari possunt absque aliqua census praestatione.

*LIX: De mulierum privatione extra Comune Salechii.*

Item statutum et ordinatum, quod omnes mulieres, quae nubant extra dominium et Comune ipsorum hominum de Salechio in forensem et non vicinum, sint privatae omni beneficio vicinantis ipsius Comunis, respectu buscorum, alpium et rerum comunaliu, ita quod si aliquid in eis tentaverit, puniantur tanquam forenses contrafacientes praesentibus statutis, et condemnentur ad poenas realiter et prout ex forma statutorum praesentium disponitur, ita tractentur earumdem mulierum filii et filiae et descendentes.

*LX: De non savernado vaccas foeno foresterio.*

Item statutum, et ut supra, quod nemo ipsorum hominum et particularium de Salechio vicinorum audeat nec praesumat emere foenum extra ipsos homines a ballis decem supra, et quod si quis, ultra dictam quantitatem foenum emerit, non possit conducere, vel alpizare vaccas illas quas savernaverit dicto foeno empto in eorum alpiibus et comunalibus, e. nihilominus condemnatur in libris XXV applicandis pro medietate Comunitati et pro alia d. Vicario et accusatori, cui accusatori credatur cum iuramento.

*LXI: De non conducendo ad alpes bestias foresterias.*

Item statuerunt, quod nemo, aut aliqua persona dicti Comunis et hominum montis Salechii, audeat nec praesumat conducere aliquas bestias extraneas et forenses in eorum alpes et comunalia cuiuscumque pretexto et causa. sub poena sold. triginta pro qualibet bestia et quolibet die quo pasculaverint in bonis ipsorum hominum, tam particularium, quam comunaliu et de nocte poene duplicetur, quae poena exigatur absque processu et compellatur talis ad restituendum bestias, et si contrafactum fuerit, bestiae pignorentur et non relaxentur, nisi prius soluta dicta poena. Quod statutum non habeat locum in bestias emptas.

*LXII: Malefactores possunt retineri.*

Item statutum, quod si quis in ipsorum Comuni aliquod delictum patraret, possit per Servitorem detineri et sequestrari cum eius bonis, nec relaxari, nisi praestita fdeiussione idonea de stando et parendo iuri et comparando ad iudicium quoties vocatus fuerit, et homines dicti loci teneantur praestare auxilium pro tale contrafaciente et malefactore capiendo, sub poena vigintiquinque (libr.) imp.; et respectu rei duplicatur poena qua esset puniendus pro delicto ab eo patrato, si fuga tentaverit, e contra eum procedatur prout in praedictis statutis.

*LXIII: De non irrigando fontem publicam.*

Item statuerunt, quod aliqua persona tam masculus quam foemina, audeat neque praesumat, aliquo modo et pretexto, irrigare aquam fontis generalis defluentis in Villam aut aliunde divertere ipsam aquam, neque in pratis, neque aliunde, et domini pratorum et locorum ubi reperiantur irrigatae, teneantur ad poenam, et hoc sub poena lib. trium imp. pro quolibet, et teneatur pater pro filio et famulo, quia eorum mens est ut fons in platea ad commodum comunis semper defluatur absque impedimento.

*LXIV: De aqua molendinorum.*

Item statutum et ordinatum, quod supradictum statutum de non irrigando fontem comunis. etiam locum habeat et exequatur de non irrigando aquas molendinorum a festo sancti Michaelis usque ad medium mensem Martii, sub poena de qua in proximo superiori statuto.

*LXV: Quomodo gubernantur aut regantur bestiae.*

Item statutum, quod non sit aliqua persona quae audeat neque praesumat mittere bestias, nec conducere eas ad eorum alpes ante diem festi S Ioannis Baptistae, ut in alio praedicto statuto, salvo si aliter ex comunni eorum consilio iudicaretur, neque bestias ab alpibus abducere, seu discarigare, ante festum Sanctae Mariae de mense septembris; et respectu pasculandi prata propria, prohibent pasculaciones pratorum alienorum usque ad festum Sancti Mauricii; et a dicto festo in posterum, nemo valeat bestias pascolare in suo, aut alieno poderio, seu prato et expellere in alienum; et si quis contrafecerit praesenti statuto, puniatur respectu mittendi bestias ad alpes, ut in alio primo statuto, et pro discarigando et pascendo aliena prata et expellendi bestias, sub poena sold. quadraginta pro qualibet bestia de die, de nocte vero duplicetur poena, et damnetur dominus bestiarum in damnum versus dominum pratorum damnificatorum.

Ulterius, quod aliqua prata non impinguantur fimo, neque ingrassentur, nisi lapso mense octobris, sub poena scuti unius pro quolibet domino cuiuslibet prati ingrassati, ut supra; ad quam poenam non teneantur portatores, neque laboratores, neque domini, si fimum relinquerint in montonos, seu ut vulgo dicitur, in muchii, et praedicta poena perveniat ut supra.

*LXVI: De pasculando aut foenando in certis locis.*

Item statutum et ordinatum, quod nemo audeat, neque praesumat, foenum aliquod secare in locis et bonis comunalibus ipsorum hominum in eis locis tensis, et ubi bestiae possunt pasculare; et hoc a festo sancti Petri usque ad festum sancti Martini, juxta solitum antiquum, sub poena librarum trium imp. pro quolibet fasso auferendo cuilibet facienti, quae poena perveniat tertia pars d. Vicario, tertia pars accusatori, et alia tertia pars comunitati praedictae.

*LXVII. De bonis redimendis.*

Item statuerunt et ordinaverunt, quod bona existimata particularium, possint recuperari per quemlibet vicinum ipsorum hominum pro pretio quo existimabuntur, et ita de bonis venditis extra ipsos homines et vicinos, et quod bona antequam in forensem alienentur, debent publice subastari in platea Ecclesiae ipsorum hominum, et omnibus emere volentibus innotescat, et si aliter factum fuerit possint ipsa bona redimere pretio existimato. Post vero terminum decem dierum, post factam publicationem, si nemo pretium exolverit, aut legitime non deposuerit, tunc non sit locus supradicto statuto.

*LXVIII: De exemptione Consulium.*

Item statuerunt, quod consules montis Salechi non possint puniri pro non datis denuntiis post finitum tempus offitii sui consulatus; quo finito, liberati intelligantur, neque denunciare teneantur delicta levia et minima, neque occulta, nisi tractetur de delicto atroci et enormi.

*LXIX: De catiis.*

Item ordinaverunt, quod aliqua persona, super eorum territorio, (non) audeat turbare aliquam personam in aliquibus catiis perdicium et aliorum animalium, neque levare plodas aptas pro capiendis perdicibus, et aliis, sub poena librarum viginti quinque imp. applicanda pro tertia parte d. Vicario, pro tertia parte cuilibet accusatori, cui cum juramento solo credatur, et pro alia tertia parte comunitati praedictae.

*LXX: De manutenendo stratas.*

Item statutum, quod quaelibet persona teneatur et debeat aptare stratas in et super suo poderio, seu bonis et solo, et illas manutenendas aptatas ad stilum publicum, cum poena lib. trium imp. applicanda ut supra; et quam poenam incurrant etiam non manutenentes chioendas et portelias juxta bona comunalia, et solitum, et quocumque modo impediennes lecta torrentium affluentium per dictum eorum territorium.

LXXI: De ordine in extimandis bonis.

Item statuerunt, quod creditores super eorum territorio, et habentes credita contra aliquas personas dicti comunis, in consequendo suum creditum, si fecerint pignorare et extimare bestias, teneantur etiam pignorare et extimare facere tantum foenum, et e contra, ita ut fiat aequantia; et si quis antea tentaverit, condemnetur ad accipiendum insolutum tantum foenum et vaccas modo praedicto ut extimentur et hoc a libris triginta imp. infra; quod non habeat locum ubi non adessent tot bona in bonis debitoris, ut fieri posset aequantia, et quod a dictis libris triginta super, etiam si fieri potest, sempre accipiendo bestias pariter et foenum ad ratam accipiant in solutum creditori.

LXXII: De non lavando curtos.

Item statutum, quod postquam caricatae fuerint alpes, nemo audeat lavare curtos, neque finum ab eis exportare, sub poena libr. sex pro quolibet contrafaciente et vice. quae poena perveniat ut supra.

LXXIII. De applicandis poenis.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod ubi ex aliquo capitulo suprascriptorum statutorum non appareat cui applicentur poenae, in vigore praesentis statuti applicatae et applicentur pro medietate d. Vicario, et pro alia medietate Comunitati ipsorum hominum, et quod omnia suprascripta statuta et ordinamenta mittentur exequutioni in omnibus et per omnia prout constat ad litteram, reliquis omnibus et singulis aliis quibuscumque statutis et ordinibus ipsorum hominum praedictis contravenientibus non attentis, quae omnia contraria praedictis eorum ordinibus annullant.

-----

Praedicta Statuta, quae vim legum municipalium habere volunt exequi et exequutioni mitti debere ut per quodlibet capitulorum disponitur, salvo semper infallibili iudicio et superioritate eorum Supremi Regis, Philippi ducis Mediolani, et aliorum quorumcumque dominorum suorum Superiorum.

Quos omnes et singulos Dominos Superiores suos enixe rogant, ut dignentur praedicta Statuta et Ordinamenta confirmare, adprobare et laudare ac curare quod exequantur.

Et insuper praefati omnes homines conveniunt et promiserunt, ac conveniunt et promittunt, mihi notario infrascripto stipulanti, nomine quorum intersum, praedicta omnia et singula statuta ac ordinamenta rata firma nostra. habere, tenere, attendere et observare et nunquam contravenire, sed omni studio illa omnia exequi et curare quod illa omnia exequutioni mandarentur mihi notario infrascripto stipulanti sub debito juramento (omissis).

Actum in loco Crodi, vallis Antigori, in sala magna mei notarii et fratrum de Marino, anno, inditione et die supradictis. Praesentibus testibus Ioanne, appellato Ferrario fq. D. Iosti de Crodo, Zanino et Bartholomaeo fratribus fq. Bartholomaei Perache de Crodo, Iacobo fq. Francisci Perache omnibus de Crodo, et Utino fq. Francisci Utini de Crego, notis, idoneis, vocatis et rogatis.

(S.T.) Ego Thomas Marinus fq. magnifici domini Ioannis Marini de Crodo, vallis Antigorii, publicus, imperiali auctoritate, Notarius descriptus in matricula Ven. Collegii d. Notariorum Civitatis Novariae, rogatus, suprascripta statuta et ordinamenta scripsi et in uno volumine compillata publicavi et in meis imbreviaturis registravi ab originalibus penes me existentibus. Praedictum volumen

ipsorum statutorum et numerum foliorum quinquaginta novem praesenti computato explevi, scripsi, tradidi et pro fide omnium praemissorum me, cum appositione mei soliti tabellionatus signi, subscripsi.

## G L O S S A R I O

- Attapante*, 22, incidere coll' accetta il tronco delle piante.  
*Attinentes*, 9, affini e parenti in genere.  
*Auodam*, 22, abete bianco, *Abies pectinata*, dial. avèet.  
*Barlinam*, 41, pena della berlina.  
*Chiovendas*, 70, siepe di legno o in muratura per cingere i terreni privati o tensati.  
*Carigare*, 65, (senza compl. oggetto), salire col bestiame ai pascoli alpini, monticazione.  
*Cathenam*, 41, pena della catena.  
*Catiis*, 69, caccia in genere con l'archibugio e coi lacci.  
*Censu*, 50, diritto di caposoldo dovuto al Vicario in ragione del 5%  
*Discarigare*, 65, scendere dalle alpi col bestiame.  
*Ecclesia S. Petri*, 41, l'antica chiesa di Salecchio in località Brenzeg, distrutta da una valanga.  
*Fasso*, 60, fascio di fieno o di legna.  
*Fimo*, 65, letame.  
*Fustigetur*, 43, pena inflitta alle donne incestuose e agli adultcri che venivan vergheggiati sulle natiche sulla pubblica piazza di Salecchio.  
*In fortiam*, 24, in potere del Vicario, in carcere.  
*Laetantias*, 53, rogazioni e processioni di voto. *Lariciam*, 22, pianta di larice.  
*Maleficium*, 39, delitto in genere.  
*Montones*, Ga, mucchi di letame distribuiti in autunno sui prati.  
*Mulier hereditaria*, 11, 13, 18, 56, 59, La donna, elemento disgregatore della sostanza familiare e vicinale, vien trattata quanto alla dote, al diritto di successione, ecc., alla stregua del diritto germanico. .  
*Non vicinus - forensis*, 30 e passim, non iscritto alla vicinanza. Non poteva comperare o ereditare dai vicini.  
*Pezanigam* 22 *Abies excelsa*, dial. pèschia.  
*Portelias*, 70, porticina a graticci di legno all'entrata dei terreni privati, dial. gràtèn.  
*Ruschante*, 22, toglier la scorza alle piante.  
*Sacramentum*, passim, giuramento.  
*Savernando*, 60, mandare il bestiame a sverno alimentandolo col fieno prodotto nella vicinanza.  
*Scloporum rotatorum*, 23, archibugio a ruota.  
*Spacia*, 47, misura ossolana di superficie equivalente a circa a metri quadrati.  
*Spatulis*, 24, `spalle. Si allude al taglio della testa.  
*Sportulas*, 17, onorario che si dava al Vicario e suoi ufficiali per la data sentenza.  
*Taglione* (pena del), 24, applicata ai feritori.  
*Tensis*, 66 e passim, potere vincolato al pascolo o al taglio di piante.  
*Testor*, 48, tessitore.  
*Vicarius*, passim. Era il giudice feudale che veniva scelto nella famiglia dei condomini.  
*Vicinantia*, passim, costituita dai soli vicini. Era retta da un console, detto *aman*, che durava in carica un anno. Le vicinanze si tenevano sulla piazza di Salecchio davanti alla chiesa.